Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31296
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

De cauenda nimia familiaritate.

Non omni homini reueles cor tuum. sed cum sa- viij.
piente et timente deum age causam tuam
Cum iuuenibus et extraneis rarus esto.
Cum diuitibus noli blandiri, et coram mag-
natis non libenter appareas. Cum humilibus
et simplicibus, cum deuotis et morigeratis so-
ciare, et que edificacionis sunt pertracta. Non
sis familiaris alicui mulieri, sed in communi omnes bonas
mulieres deo commenda. Soli deo et an-
gelis eius opta familiaris esse, et hominum
noticiam deuita. Caritas habenda est ad
omnes. sed familiaritas non expedit. Quandoque
accidit ut persona ignota ex bona fama
lucescat. cuius tamen presencia oculos intuencium
obfuscat. Putamus aliquando aliis placere ex
coniunctione nostra. et incipimus magis displicere
ex more improbitate in nobis considerata.

De obediencia et subiectione

Valde magnum est in obediencia stare, sub ix.
prelato viuere, sui iuris non esse.
Multo tucius est stare in subiectione quam
in prelatura seu regimine. Multi sunt sub
obediencia magis ex necessitate quam ex caritate, et
illi penam habent. et leuiter murmurant, nec
libertatem mentis acquirent. nisi ex toto corde
propter deum se subiciant. Curre hic
uel illuc. non inuenies quietem nisi in humili
subiectione sub regimine prelati.